







1, 692.  
ad. H. 8. 1799. 6.  
1712. 8.

20.  
36.  
92

DISSERTATIO MORALIS,

QUA

JUSTITIAM  
JURAMENTI  
RELIGIONIS

IN

ACADEMIA LIPSIENSI

CONSENSU AMPLISSIMI SAPIENTUM

ORDINIS

AD D. XVII. SEPT. A. O. R. MDCCXII.

PRÆSIDE

M. GERHARDO HERMANNO  
MENCKENIO,

OLDENBURGENSI,

PUBLICE VINDICABIT

RESPONDENS

JOHANNES DAVID König /

BITTERFELD. SAXO.

LIPSIÆ,

Literis BRANDENBURGERIANIS,

57





V I R O  
PLURIMUM REVERENDO, NOBILISSI-  
MO, ATQVE DOCTISSIMO,  
D O M I N O  
M. J U S T I N O  
W E Y R A U -  
C H I O,  
ECCLESiarum  
BAYERSDORF, GLEBITSCH ET KOEKERN  
PASTORI LONGE VIGILANTISSIMO,  
PATRONO EVERGETÆ AT-  
QVE SUSCEPTORI SUO AD  
CINERES USQVE COLENDO,  
HASC E S T U D I O R U M S U O R U M  
P R I M I T I A S

GRATA AC SUBMISSA ANIMI DEVOTIONE  
DICAT, CONSECRAT, ATQVE OFFERT

Johannes David König,

SS. Theol. Stud.



20.  
36.  
92

**P**ROOEMIUM de variis Juris Naturalis controversiis.

SECTIO I.

- §. I. Definitio juramenti religionis supeditatur.
- §. II. Status controversia figitur.
- §. III. Sententia Jcti Halensis recensetur.
- §. IV. Primum argumentum a legitimis causis desumitur.
- §. V. Secundum argumentum a Reipublice commodo in medium affertur.
- §. VI. Tertium argumentum ab usu Ecclesie proponitur.
- §. VII. Quartum argumentum a requisitis juramenti, ex ipsius Jcti sententia, affertur.
- §. VIII. Quintum argumentum a cultu divino additur.
- §. IX. Theologica quaedam rationes ἀπὸ τῶν ἀποστόλων adjiciuntur.

SECTIO II.

- §. I. argumentum de Symbolis, quod quare sint ipsa verbum Dei, vindicatur.
- §. II. Argumentum ex loco Apostolico, 2. Cor. XIII, 8. desumtum affertur.
- §. III. Argumentum, quod juramentum religionis jure a

Magistratu exigatur, deducitur.

- §. IV. Juramentum, de re bona, ac licita prestari, ostenditur.
- §. V. Ad gloriam DEI, & veritatis defensionem hoc juramentum facere, demonstratur.
- §. VI. Arminianam sententiam scripturis contrariam esse, declarat.
- §. VII. Exemplum Israhelitarum vindicatur.
- §. VIII. Patres Concilii Niceni vindicantur.
- §. IX. Finis juramenti religionis affertur.

SECTIO. III.

- §. I. Juramentum religionis non esse ex reliquiis Papatus, ostenditur.
- §. II. Necessitas quoad Candidatos Ministerii demonstratur.
- §. III. Necessitas quoad eos, qui publicis officiis præficiuntur, affertur.
- §. IV. Per juramentum hoc non inferri vim conscientie, declarat.
- §. V. Effectum juramenti huius non frustraneum esse, ostenditur.
- §. VI. Requisita huic juramento non esse, demonstratur, & finis dissertationi imponitur.

PRO





## PROOEMIUM.



*I* gravissimas in Jure naturæ occurrentes controversas altiori mentis indagine perscrutemur, & in genuinam earum originem paulo sollicitius inquiramus, tum equidem primas atque potissimas circa doctrinam de cultu DEI exortas esse, differi, salva veritate, nemo potest: Alii enim cultum divini Numinis naturalem in Jure Naturæ pertractari posse, prorsus inficiati sunt: Alii eundem ex socialitatis studio deducendum esse, existimarunt: Alii internum quidem cultum divino Numini vindicandum esse, rationi consentaneum judicant; externum tamen cultum ne probabilibus quidem ex Jure Naturæ argumentis demonstrari posse, asseruerunt. Quæ de Sabbatho secundum jus naturæ motæ sunt lites, neminem latere arbitror. Has vero, & infinitas alias, circa cultum DEI exortas, & ab aliis satis accurate deductas controversas lubens jam prætereo, nec iis uberius explicandis tempus terere libet. Non minoris tamen momenti controversia est, quæ & præcedentibus jam olim temporibus agitata, & hodiernum ex orco quasi iterum revocatur, quando de justitiâ juramenti religionis in utramque partem disputatur. Quare non incongruum visum est hoc argumentum, quod publicæ ventilationi subjiciatur, & ab omnibus exceptionibus vindicetur. Ut igitur justo singula ordine persequamur, tribus sectionibus rem omnem absolvere decrevimus, &



20.  
36.  
92

*Et quidem in prima Sectione iustitiam hujus juramenti idoneis argumentis corroborare annitemur, in secunda alia nostratum argumenta ab exceptionibus liberare aggrediemur; in tertia denique ad objectiones breviter respondere allaborabimus. Divinum vero, quod omnia moderatur, Numen sua nobis gratia adsit, Et omnia in sui nominis gloriam, proximique commodum cedere jubebat!*

DISSERTATIONIS MORALIS

DE

JUSTITIA JURAMENTI  
RELIGIONIS

SECTIO I.

In qua nostra sententia idoneis argumentis probatur.

§. I.

**A**ctum ageremus, si post tam diffusas eruditissimorum virorum de juramentis evulgatas disquisitiones, nos vel in evolvenda hujus vocis etymologia, vel demonstranda jurisjurandi natura, longius detinere velimus: Aliorum in hoc ipso jam satis occupata fuit industria, ut facile hoc labore superfedere queamus; nec religionis vox, quæ veram DEUM colendi rationem notat, quicquam obscunitatis involvit; potius hæc, ut a scopo nostre alieniora, mittimus, & ad ipsum religionis juramentum propius nos convertimus. An-  
tequam

A 3





tequam vero ulterius progrediamur, brevis juramenti religionis definitio, ut & in vocibus & in re ipsa conveniamus, præmittatur, necesse est. Est itaque juramentum religionis affirmatio religiosa, cum quis jurejurando & attestatione nominis divini promittit, se in vera & salutari doctrina ex Scripturis S. solide probata, & a se recte cognita atque recepta, juvante DEO, perstiturum, omnemque falsam doctrinam & religionem sedulo vitaturum esse; quam descriptionem suppeditat BECHMANNUS in *Institut. Theol.* p. 696. nec non in *annotationibus ad D. N. D. JOH. OLEARI I Theol. Mor.* p. 477. in qua, cum omnia plana ac perspicua sint, sine ulteriori verborum apparatu, ad figendum controversiæ statum B. C. D. nos accingimus.

## §. II.

Non igitur de pravo juramentorum abusu, qui hinc inde pro!dolor regnat, nostra agat disceptatio, quippe quem ipsi justa derestatione abominamur, sed de genuino ejus usu sermo in presenti instituetur: Neque inæstimabilem conscientiæ libertatem hoc ipso infringere allaboramus, sed scandalosam tantummodo licentiam e medio tollendam esse, insinuamus: Neque ullam Magistratus Politici ad fidem coactionem admittimus; ejusdem tamen de mediis fidei ordinationem ultro largimur: Hinc tantum abest, ut ulla per juramentum religionis metuenda coactionis species, vel laqueus teneris conscientiis injici credendus sit, ut potius liberum cuilibet, suam coram Magistratu profitendi sententiam, arbitrium hoc ipso relinquamus.

## §. III.

Justitiam juramenti religionis variis temporibus a multis in dubium fuisse vocatam, in vulgus notum est, nec in allegandis scriptoribus, vel adducendis eorum verbis me diffundam, cum ex scriptis Theologorum nostratium polemicis satis illorum sententia innotescat. Nostro ævo hanc iterum ineulcat doctrinam (ut alios silentio præteream) *Celeberrimus Academia Halensis FCTus D. N. D. JOH. SAMUEL STRYCKIUS in dissertatione de eo, quod injustum est, circa juramenta extrajudicialia*, in cujus capite tertio omnem mover lapidem, ut juramentum religionis e medio tollat, & tanquam



quam christiano ac pio homine plane indignum rejiciat. Hinc p. 56. juramentum religionis ad reliquias Papatus, a quibus adhuc dum non purgati plene sumus, referendum esse existimat; imo hoc ipso maximam conscientis vim injici, contra scopum reformationis, qua libertas conscientis vindicata est, summa confidentia asserit. Equidem primos Librorum Symb. Conditores ex hac præcipue causa excusat, quod non tam sponte, quam coacte formulas credendorum conscripserint, exigentibus id Pontificiis, quibus confessionem suam exhibuerunt, in vim testimonii veritatis: Neque etiam mens illorum initio fuerit, doctrinas illas ulli hominum obtrudere, conscientis que vincula injicere: Quod vero postea omnes, qui ad officia quadam adspirabant, ad illas doctrinas alligaverint, & insuper juramento eos obstrinxerint, illud est, quod censura dignum putat. Hinc p. 54. eandem juramento religionis, quam fidei formulariæ, contempnim ab ipso ita appellatæ, originem, defectum nempe veræ & vividæ fidei, assignat.

## §. IV.

Primum pro corroboranda sententia nostra argumentum a trita Philosophorum regula: *Qualis causa, talis effectus*, merito desumo. Inauditum enim esset, deteriorem in prædicatis causâ finitæ, principalis, essentialibus sua causa admittere velle effectum. Quamdiu igitur iste philosophorum canon sua gaudebit vi atque efficacia, tamdiu & nostram sententiam firmo stare tulo, existimandum est. Si causas juramenti religionis omnes accuratiori lance perpendemus, non nisi bonas, justas, licitas atque legitimas illas deprehendemus. Causa Efficiens juramenti religionis est Magistratus, quem potestate juramentum hocce exigendi præditum esse, nemo jure ambiget. Licet enim ad fidem & religionem neminem cogere Magistratus possit, fidei tamen conservandæ media recte ab ipso constituuntur. Non ergo illorum amplectendam esse sententiam censemus, qui omnem circa sacra externa potestatem, & debitam veræ religionis curam Principi adimendam esse, audacter satis asseverant, quam tamen potestatem ei vindicandam esse, cordatiores largiuntur.



untur, vid. CARPZOVIVS in *Jurisprudencia Ecclesiastica* l. 3. Tit. I. *Defin.* 16. p. 3. seq. DN. D. HORNIVS in *Jure publico* c. 59. §. 3. p. 621. Ad causam materialem puritas atque sinceritas religionis, in qua jurans se perfliturum affirmat, revocanda est. Nec hic, quod acerbiolem mereatur censuram, inveniri potest, cum justitia causæ sole meridiano clarius ex his eluceat. Nam jurans non jurat, se confessionem istam, sive conformis sit sacris literis, sive minus, habere pro orthodoxa, sed juramentorantum testatur ac confirmat, quod eam in conscientia pro orthodoxa habeat, ut verbis utar SCHERZERI in *System.* p. 727. Causam Formalem hujus jurisjurandi religiosa nominis divini invocatio nobis exhibet, quæ, cum a quolibet, qui Christi nomen profiteri cupit, sedulo sit exercenda, fateor, me nullam hucdum perspiciere rationem, quæ ad demonstrandam juramenti religionis injustitiam me quoquo modo impellere possit. Causa denique finalis ex gloria Dei & Ecclesiæ tranquillitate, quæ omni justa occasione, nemine dissentiente, promovenda est, quam clarissime dispalescit. Abscilitaque a nobis, ut inordinatam quidlibet lentiendi licentiam introducere allaboremus, ut potius determinatum Magistratus ordinem atque providam ejus circa sacra externa, & juramentum præcipue religionis, cuius omnes causæ legitimæ sunt, curam susque deque habendam esse, neutiquam largiamur.

## §. V.

Porro hypothesis nostra confirmari potest ex eo, quod multum interest Reipublicæ, ut religionis cura, ea, qua decet, ratione ab imperantibus geratur: Id enim extra controversiam positum esse cum *Celeberrimo* DN. D. BUDDEO in *Institut. Theol. Mor.* c. 3. *Sect.* 7. §. 17. p. 300. existimamus. Quamvis igitur cum illis, qui MACHIAVELLI placita sequuntur, & tranquillitatem ac conservationem Rerumpubl. unicum, vel saltem præcipuum religionis scopum esse perhibent, minime sentiamus, legitimam tamen religionis directionem plurimum ad eam conferre, maximeque adeo necessariam esse, in propatulo est, & a nemine, nisi qui solem in ipso meridie inficiaturus sit, cum quadam veri spe.



26.  
36.

92

specie negari poterit. Enim vero vinculum religionis nulla ratione melius, nisi interveniente Sacramento, integrum conferri potest. Tristis namque pro! dolor nos edocuit experientia, perditissimos nonnullos mortalium, sub dulci religionis prætextu, gravissimis turbis, atque motibus, imo rerum publicarum everfionibus occasionem præbuisse. Quibus ita se habentibus, omnis atque indefessa Magistratui navanda est opera, ut sanctissimam religionem intemeratam undiquaque conserveret, & Reipubl. quoque vigorem, tutumque ac tranquillum statum, ad quem conservandum juramentum religionis plurimum conducit, commendatissimum sibi habeat.

## §. VI.

Uterius iustitia juramenti religionis ex multiplici, quo se commendat, usu demonstrari potest. Quod si enim heterodoxi tanquam jurati veritatis divinæ ofores, severo divini Numinis iussu omni studio sunt vitandi, Tit. III, 10. 2. Tim. III, 5. 6. in proclivis est, iis utendum esse mediis, quæ ad exsequendum hoc æterni Jehovahæ mandatam apta, & idonea sunt. Jam vero nullum convenientius, quam idem illud, quod tantopere ab adversariis fugillatur, juramentum religionis, medium, ad ponendum heterodoxorum doctrinis obicem poterit reperiri. Hac enim nota ex latebris protrahuntur adversarii, & ab orthodoxis facili negotio discernuntur, novaturientes vero metu poenarum perjuris impendentium a molitionibus Ecclesiæ noxiis absterrentur, & reliqui in officio continentur, quæ nitida atque concinna verba sunt Dn. D. SCHELVIGII in *Synopsi* p. 26. Ex dictis igitur dispalescit, non contemnendum in totam Ecclesiam per juramentum religionis redundare commodum, dum fidei & Ecclesiæ unitas, remotis iis, quæ ad devastationem vineæ dominicæ, & turbandum Ecclesiæ statum facere poterant, studiose hac ratione conservatur.

## §. VII.

Insuper juramentum religionis tribus suis munitum est comitibus, iudicio, veritate & iustitia, hos enim comites ipse *Celeberrimus* Dn. D. STRYCKIUS in *Dissert. cit. cap. I. §. 25. p. 24.* ad præstandum legitime jusjurandum requirit. Et primo quidem requi-



ritur in jurante iudicium discretionis, quod juxta Dominicum Stephanum Trityckum tria involvit, namque (a) requirit prævium examen, & accuratam deliberationem. Quod requisitum facili negotio ad jurandum religiosum poterit applicari. Nullum enim est dubium, quin homines, qui monente Apostolo 1. Petr. III, 15. quotidie ad reddendam fidei suæ rationem paratos se sistere debent, quique vel aliqualem saltem salutis suæ curam gerunt, prævium publicæ, quam profitentur, religionis examen instituerint, præferunt, si religiosum ab iis exigendum esse juramentum, intellexerint. (b) Iudicium in jurante supponere dicit clarum, distinctum, & talem conceptum, secundum quem ipsam rem, de qua jurare vult & debet, intelligit. Nec hic difficilis erit ad præsens thema applicatio: Illud enim extra omnem dubitationis aleam positum esse, mihi persuadeo, neminem reperiri, qui non clarissima Divi Lutheri in Catechismo Minori, Librorum Symbolicorum nervo, verba exacte capiat, atque intelligat. Ex quo pronò alvo fuit, juramentum religionis a nostratibus ad ignorata minime extendi, cum nemo tam rudis, tamque rerum suarum ignarus habendus sit, quin ex catechismo, quem in juventute memoriæ sibi mandavit, distinctum de religione sua conceptum sibi formare possit, ubi tamen nec illud prætermittendum est, requirere nihilominus cujuslibet, qui publico muneri ad moveri cupit, officium, ut, priusquam juramentum ab ipso exigatur, diligenti ac sedula perlectione libros Ecclesiarum nostrarum Symbolicos familiares sibi reddat. (c) Ad iudicium habilitatem quoque personæ, quæ juste jurare possit, refert, nam in quibus deest iudicii *insperata* & facultas deliberandi, ab illis injuste juramentum exigitur. Quod si itaque personas, quibus juramentum præstandum est religiosum, accuratius consideremus, jurandi habilitatem iisdem non abjudicabimus. Qui enim ad persequenda officii publici munia digni habiti sunt, non video, qua ratione alicujus vitii, quod a præstando jurejurando illos arcere queat, jure accusari possint. Deinceps in sermone requiritur veritas, eaque constans & certa, h. e. conformitas linguæ cum mente, absque aliis mentalibus reservationibus. Idem & nostrates summo  
flu.



studio inculcant, dum categoricum præstandum esse juramentum, defendunt, eo ipso enim omnia ea, quæ fucum & scelus quodammodo redolere poterant, longissime removeere allaborat, conf. *Responsura a Collegio Theologorum & JCTorum in hac Academia superiori anno datum*, cujus elegantissima verba prolixius citat DN. D. JOH. VALENTINUS SCHMIDIUS in *Dissert. inaug. de proposito in mente retento nihil operante* §. 35. p. 39. seqq. Tandem in causa adfit justitia necesse est, ne juramentum, quod sanctissima religione ab omnibus præstandum est, vinculum hac ratione evadat iniquitatis. Justissimam vero adesse causam, quando juramentum exigitur, religionis, nemo forte inficiabitur, qui accuratiori judicii lance ea, quæ de justis juramenti religionis causis §. 4. sunt disputata, perpendet, quæ omnia justitiam juramenti religionis sole meridiano clarius insinuant.

§. IIX.

Præterea justitia juramenti religiosi exinde cuilibet ad oculum patebit, quoniam hoc ipsum haud minima cultus divini pars, & non contemnendus religionis actus existit. Ipsa sane natura ad cultum non modo internum, sed & externum divino Numini præstandum atque exhibendum nos instigat, & obligat, fluit enim cultus externus ex interno, adeoque non mente tantum atque animo, sed externo etiam opere ac factio æternum Numen colendum esse, in propatulo est: Jusjurandum vero ad partem cultus divini revocandum esse, tum ex serio mandato divino, tum ex glorificatione divini Nominis indubitato constat. Notatu utique dignissimum est, quod in toto sacro codice nullibi dæmones jurasse legamus, & certe ratio in promptu est; ex dictis enim liquet, jusjurandum ad cultum divinum a nobis referri; jam vero dæmones a cultu divino quam longissime abhorrere, a nemine in dubium vocari potest. Qua enim ratione ad seriam divini nominis invocationem se accingerent dæmones, cum infensissimi ejus hostes sint, & a veritate divina quam alienissimos se præbeant. Sanctiori igitur religione juramentum religiosum prosequendum, nec ejus justitiam temere negandam esse, existimamus.

B 2

§. XI.



Denique nec Theologicæ defunt rationes, quæ iustitiam juramenti religionis firmissimis argumentis demonstrant. Initio enim severissimum ipsius Jehovah mandatum occurrit, Deut. VI. 13. quod a Christo in N. T. sublatum esse, cum non venerit, ut legem dissolveret, Matth. V. 17. incongrue asseritur. Deinceps nec exempla & approbationes juramenti hujus religiosi in divinis pandectis deficiunt, id quod ex evolutione locorum Deut. XXIX. 10. seqq. 2. Parak. XV. 13. sq. Etræ X. 5. Neh. V. 12. X. 29. Psal. CXIX. 106. abunde liquet. Pari ratione in N. T. de divo gentium Apostolo Paulo perhibetur, quod fratres suos per Christi nomen in rebus religionem concernentibus adjuravit, vid. 1. Theff. V. 27. Neque vero credibile est, sanctissimum virum tam atrocè perpetrassè peccatum, ut fratres suos adjuravit, si juramentum religionis inter peccata referendum esse, existimaverit. Imo ipsum Christum Servatorem nostrum, juramentum religionis a summo Sacerdote ipsi impositum, præstitisse ex Matth. XXVI. 63. invictè concluditur. Conf. *Collegium Tripolitani in Mateologia Fanatica p. 731.* Ne quid de libris Ecclesiarum nostrarum symbolicis (quos interpretationem verbi divini esse, p. 63. *celeberrimus FCTUS* largitur) addamus, cum in Aug. Conf. articulo XVI. nostra sententia dilucide est asserta, & contraria nervose rejecta. Sed ne *μετάβασις εἰς ἄλλο γένος* commisisse videamur, istis quidem diutius immorari non libet. Officio interim nostro in hac sectione nos satisfecisse, muniaque nostra fideliter explevisse credimus, dum iustitiam juramenti religionis satis clare & dilucide a nobis propositam, argumentisque idoneis confirmatam esse judicamus. Quare ad sectionem secundam, quæ argumenta nostratium ab exceptionibus breviter vindicabit, sine omni mora, ulteriorique verborum apparatu B. C. D. progredimur.

SE.



## SECTIO. II.

## In qua argumenta nostratum ab exceptionibus vindicantur.

§. I.

UT injusticiam juramenti religionis sua ex sententia ad oculum demonstret *Celeberrimus* *JCTUS*, argumenta nostratum Theologorum, quibus pro corroboranda hypothefi sua usi sunt, sub examen vocare consultum duxit, ut igitur nervum harum rationum, earumque vim concludendi sartam, tectamque conferremus, ad exceptiones breviter pro virili respondebimus. Primo loco collocat istud argumentum, quod Symbola sint ipsum Dei verbum, tam quoad rem, quam quoad sententiam, & in compendio veritates divinas contineant, quibus subscribendo fidem dare, testimonium & fidem obstringere juramento, omnino justum sit. Excipit ad hoc argumentum, quod altioris indaginis esse, largitur: Ab aliis jam negatum esse, talia Symbola esse ipsum verbum Dei, cum potius sint interpretatio verbi divini, quæ tamen ab ipso verbo divino longe distat: Etiam si vero hæc omnia essent, exinde tamen non sequi, præstandum esse in libros symbolicos juramentum, cum in S. Scripturam potius jurandum esset. Hinc per compendium ita argumentatur: Aut libri Symbolici non conveniunt cum Scripturâ, aut conveniunt; illo casu inique exigitur juramentum; hoc casu juramentum est frustraneum, quia veritas nos obligat, etiam sine juramento: Ergo juramentum utroque casu est injustum: Sed enim vero facili negotio dilui poterit hæc exceptio, dummodo observetur: (a) Symbola verbo Dei non esse opponenda, sed potius subordinanda, cumque, juxta præfationem confessorum ad Imperatorem Carolum V, doctrinam ex Scriptura S. & puro Dei verbo petitam offerant, non esse aliquid extra, aut contra scripturam, sed ipsam Scripturæ medullam. (b) Illibatam manere Scripturæ S. auctoritatem, licet libris Symb. per juramentum religionis subscribatur.

B 2.

Quant.

20.  
36.  
9d



Quandoquidem enim omnes, quotquot unquam fuerunt, hæretici ad Scripturam S. tanquam normam, pro palliandis erroribus suis provocare sunt ausi, dextre Scripturæ phrasas fuerunt explicandæ, quod in Symbolis factum esse, ipse *Celeberrimus JCTUS*, dum Symbola interpretationem verbi divini vocat, concedit. Unicam ergo Scripturæ S. veritatem recipimus, eamque fidei normam agnoscimus, licet Sacramento in libros symbolicos nos obstringamus, dum nullos fidei articulos, nisi qui ex asse cum sacris literis concordant, admittimus. Sic ulnæ primariæ & palmaris nil decedit, licet quis in aliam ad hanc rectificatam jureret, quo simili B. ALBERTI *in disert de prestando Categorico in libros Symb. juramento, Sect. 2. c. 2. §. 4. lit. s.* rem illustrat. (c) Quod igitur argumentum in medium prolatum concernit, nego, frustraneum esse juramentum, si catholicus librorum symbolicorum cum Scriptura consensus supponatur; nec rationem connectendi, veritatem etiam sine juramento nos obligare, h. l. admittendam esse censeo. Enimvero testis quoque in judicio obligatus est, ut veritatem candide pronunciet neque tamen ista obligatio impedimento esse potest, quo minus juramentum ipsi imponi, illeque ad majorem adigi obligationem queat. Licet igitur quivis, qui Christiani nomen profitetur, ad veritatem aperte proficendam, obstrictus sit, nihilominus major huic addi obligatio juramento religionis potest.

## §. II.

Secundo illud in medium profertur argumentum, quod Apostolus 2. Cor. XIII. 8. ipse asserat: Nihil contra veritatem possumus, sed pro veritate. Quod quidem argumentum nil ad rem facere existimat, cum non nisi mediis justis, & veritati consentaneis pro veritate pugnandum sit: Veritas autem intellectualis nunquam hisce juramenti obtineatur, nec conservetur, quin potius obrudatur, id quod illicitum esse, evictum est. Verum quod thesin ipsam in hac exceptione positam concernit, tantum abest, ut circa eam dissentiamus, ut potius ambabus eandem manibus largiamur: Ipsi enim contendimus, injusta removenda esse media, & ea tantum, quæ æquitati consentanea sunt, adhibenda;



benda; causa quippe veritatis mediis quoque veritati patrociantibus omni tempore est promovenda. Quod si vero *hyperbolicè* penitus consideremus, juramentum religionis ad media injusta atque illicita referendum esse, negamus & pernegamus. Namque falsum est, quod tamen a dissentiente supponitur, veritatem hac ratione hominibus obtrudi; nulla enim locum habet coactio, cum intemerata cuilibet suam profitendi religionem concedatur libertas, neque quis vi quadam ad aliam arripiendam religionem adigitur, sed media ipsi tantum, genuinam atque orthodoxam declarandi sententiam, ordinantur. Quantum autem hoc juramentum ad conservandam in omnibus regionibus veritatem conferat, ipsa experientia, optima magistra, quemvis edocebit, cum hac ratione omnium animi ad proponendam auditoribus unam divinam veritatem, quam optime & felicissime disponantur.

## §. III.

Tertium, quod a nostratibus urgeri solet, argumentum, huc redit: Quod hæc obligatio a Magistratu, tanquam ipsius Dei vicario, exigatur, adeoque merito eidem obsequium præstandum sit. Hoc argumentum plane a quæstione alienum esse, Dn. Dissentiens arbitratur, cum non jam quaratur, quid fiat, sed quid fieri debeat. Hinc Magistratum injuste hanc obligationem, quæ unice conscientias tangit, subditis imponere, imo ne quidem impositurum esse, asserit; si non hi, qui Principes ab ejusmodi legibus abstertere deberent, eis necessitatem quandam suis suggestionibus imponerent; Sed enim vero, multa hic detrahuntur summo Magistratus officio, quæ tamen jure divino ei competunt. Equidem nulla major pestis est apud eos, qui Republicam administrant, quam dominari velle conscientiis, quæ imperandi ratio dura esset carnificina, ut sapientissime *Imperator Romanus* MAXIMILIANUS I. pronunciavit: Interim distinguendum esse cum B. ALBERTI *l. c. Sect. 2. c. 2. §. 4. lit. a.* existimamus, inter dominium *δεσποτικόν & πολιτικόν*. Illud est, quando quis alterum ad obedientiam cogit, sive velit, sive nolit: Hoc vero, quando quis alterum blanda regiminis forma allicit potius, quam ut



compellat. Prius, ut nullus Christianus Magistratus, in rebus religionem concernentibus, appetit; sic recte ei derogatur. Posterius vero summo jure ei concedi, in propatulo est. Quamvis igitur Magistratus curam duntaxat externi religionis exercitii habeat, exinde tamen juramentum religionis injuste ab ipso exigi concludere non licet. Enim vero, Deo conscientiam, & Ministris Ecclesie internas ac formales ministerii partes, ut prædicationem verbi & dispensationem Sacramentorum, relinquendas esse, perse constat: Magistratui tamen Politico sedulo insimul prospiciendum est, non solum de fide & vita subditorum suorum, quid vel quomodo credant, aut non credant, an bene vel male vivant; sed in primis etiam de Ministrorum pura verbi divini doctrina, & recta Sacramentorum administratione, quod tanto felicius expectatum dabitur, quanto arctius ad certam confessionis formulam fuerint adstricti, ut iterum nervose atque eleganter loquitur B. ALBERTI *l.c.*

## §. IV.

Quarto demonstrari a nostratibus solet, quod juramentum religionis de re bona ac licita præsterur. Sed nec hoc argumentum sine censura dimittendum esse, censuit *Dn. Disseniens*, quare id adhuc in questione esse pronunciat, an præsterur juramentum de re licita, hoc in casu, ubi nulla adest necessitas. Ast vero primo notiones necessariæ atque licitæ summopere confundi, vel saltem admodum improprie in hac sententia accipi, mihi videntur. Posito enim, minime vero concesso, necessitatem juramenti religionis demonstrari non posse; non tamen omnia, quæ ad necessaria referri non possunt, pro illicitis sunt habenda. Deinde ex Sect. I. §. 5. jam elucet, jusjurandum de puritate ac sinceritate religionis, in qua jurans se perstiturum affirmat, præstari, quæ cum ex numero rerum licitarum excludi non possit, veritatem exinde colligimus, quoniam hac ratione de publica doctrina reddimur certiores, & dissentientes eo arctius possunt constringi.



## §. V.

Quinto loco ad gloriam Dei & veritatis defensionem, ad quam juramentum religionis tendit, provocari a nostratibus solet. Sed, quod admiratione dignum putes, *Dn. Dissentiens* hunc prætextum longiore refutatione indignum existimat, cum gloria Dei per talia juramenta non possit obtineri, & vix intendatur, cum potius ad dominium in conscientias respiciatur. Gravissima sane hæc accusatio est, quæ eo minus ferenda, quo minus de divino *καθίστασις* dono quisquam mortalium sibi gratulari potest. Nullo certo argumento fidem liberare *Dn. Dissentiens* poterit, ut apodictica demonstratione evincat, ad invehendum dominium in conscientias unice juramentum hocce exigi, ejusque justitiam defendi: Nec ullam addidit rationem, qua veritatem hypotheseos suæ, gloriam Dei per juramentum religionis obtineri non posse, confirmet, cum tamen juramentum religionis, & gloria Dei nullam involvant contradictionem; quin potius quam optime simul consistent. Aut igitur vehementer fallor, aut hoc ipso nimis aperte theseos suæ infirmitatem prodidit.

## §. VI.

Sexto loco illud notari a nostratibus solet, quod contraria sententia Arminianis, aliisque hæreticis sit propria. Sed *Dn. Dissentiens* hoc argumentum adeo imbecille esse judicat, ut sua sponte corruat, quoniam & hæretici bonas possint fovere sententias, neque omnino, quod ab Arminianis dicitur, statim hæreticum sit. Ast limitandum hoc argumentum fuerat. Quamvis enim inficias ire nolim, nonnulla tum apud Arminianos, tum apud alios hæreticos reperiri dogmata, quæ cum Scriptura S. tanquam unica fidei nostræ norma, ex asse conveniant; illæ tamen veritates non ab iis, quatenus veritati contumaciter resistunt, sed quatenus nonnullas in sacro codice fundatas doctrinas adhuc recipiunt, possidentur. Quatenus igitur aliquid Arminianum vel hæreticum pronunciatur, eatenus illud divinæ veritati e diametro repugnare asseritur, unde nullos hæreticos, quæ hæreticos, bonas posse fovere sententias, & omne, quod ab iis dicitur, hæreticum esse, firmiter concluditur. Quibus observatis,



tis, haud difficilis erit ad praesentem materiam applicatio. Namque nullam aliam ob causam sententia contraria Arminiana pronuntiatur, quam quoniam cum sana, orthodoxa, & Scripturarum S. conformi doctrina conciliari nequit.

## §. VII.

Septimo exemplo piorum Israelitarum, tanquam electi Dei populi, justitiam juramenti religionis corroborare nostrates solent: De illis enim constat, quod non semel juramentum, se legi divinae obsecuturos, praestiterint. Sed non posse hic ab Israelitarum juramentis, de sancto foedere Dei servando praestitis, argumentum duci, arbitratur *Dn. Dissentiens*, quandoquidem ibi (1) non actum fuerit de credendis, sed agendis, (2) non de interpretatione foederis Dei, sed ipso foedere, satis Israelitis cognito. Respondemus autem ad hanc exceptionem: (1) Non minor credendorum, quam agendorum est necessitas, & credenda praesupponuntur, utpote in quibus agenda fundantur: Posita itaque juramenti in agendis justitia, nullam hucdum perspicio rationem, quae ejus in credendis injustitiam evincat. (2) Admonentur pii Israelitae, & jurejurando obstringuntur, ut verum & non fucatum divino Numini exhibeant cultum: Cum vero nullus cultus sine vero de Deo sensu praestari possit, credenda excludi non debere, satis elucescit. Quinimo (3) populus Israeliticus Mose autore, ac suo fore, non modo obedientiam Deo pollicetur, sed & in doctrinam caelestem, ac capita foederis sibi tradita, religiose jurando, committit, Deut. XXIX. 10. seqq. conf. Jos. XXIV. 25. quo in loco foedus illud solenniter repetitur, videantur & cetera loca Sect. I. §. 9. allegata, quae veritatem atque robur asserti nostri satis superque comprobabunt. Denique (4) interpretatio foederis, ipsi foederi, & Libri Symb. tanquam norma confessionis, Scripturae S. tanquam normae fidei, non opponi, sed subordinari debent.

## §. VIII.

Octavum nostratium argumentum ab autoritate antiquiorum Ecclesiae Patrum, qui hunc morem imitati sunt, desumptum est; hi enim sub Constantino M. jurejurando non minus, quam

sub-



subscriptio pro asserenda veritate Concilii Niceni usi fuerunt. Hujus argumenti veritatem cum in dubium vocare *Dn. Dissentiens* nequeat, consequentiam inde deductam non admittendam censet. De hoc enim jam quæri pronunciat, an recte Patres concilii hujus, talia exigendo juramenta legerint, cum non omne, quicquid in concilio Niceno factum, ubi jam mundus intrusus erat in Ecclesiam, & Anti-Christus solum occupare incipiebat, approbationem mereatur. Durissima profecto hæc, & innocentissimos hujus concilii Patres maxime injuria sententia est. Sane non dixisse, sed probasse sufficit. Demonstratur ergo per exempla veritas huus effati: Non omne, quicquid in Concilio Niceno factum, approbationem mereri: Proferantur in medium falsa atque erronea dogmata, quæ in concilio isto vel propofita, vel defensa, vel quo quo modo iusta pronunciata fuerint: Nos enim, quibus longe alia mens est, istis candidum addere calculum eo usque reculamus, donec de falsitate nostræ & veritate contrariæ sententiæ quam clarissime fuerimus convicti. Arianorum certe destruere, & profligare dogmata, & æternam Servatoris nostri, contra contumacissimos hostes, asserere deitatem, summam penes cordatos quosque meretur approbationem.

## §. IX.

Nono ex iusto & licito fine iustitiam juramenti religionis nostrates evincunt, finis enim est, homines contentiosos & turbulentos compescere. Sed audacter finem huic latens esse incognitum, pronunciat *Dn. Dissentiens*: Imo in ea est sententia, non esse homines si verum fateri fas est, ad rixas, contentiones, & tumultus magis aptos, quam plerosque ex iis, qui mordicus pro usu juramenti religionis pugnant; & per hoc juramentum nova discordiarum semina spargi: Denique, etiamsi esset aptum ad istum finem medium, non tamen homines esse convincendos vinculis legum in rebus spiritualibus, sed virtute & demonstratione Spiritus, uti Apostoli fecerunt. Verum enim vero, vereor, ne *cap. de iur. v. c. 12* *Dn. Dissidentem* fallat, qua de aliorum fine atque intentione finistrum ferre iudicium audeat; nullos vero magis contentionibus ad veteros esse, parum abest, quin calumniis accense-

20.  
36.

92

Nam  
iana  
pu-  
Dei  
fo-  
legi-  
rum  
non  
era-  
Re-  
len-  
po-  
ara  
em  
rae-  
ivi-  
ero  
atis  
ua-  
am  
ip-  
co  
A. I.  
su-  
pli  
cu-  
de-  
to-  
um  
ub-



am; longo enim intervallo hæc duo: dissidia promovere, & depositum divinæ veritatis sancte custodite, & intemeratum servare, inter se differunt. Posterius, uti jure de illis asseritur: Ita prius perperam illis imputatur. Quod vero *Dn. Dissentiens* inconveniens hoc esse medium, ad obtinendum finem, asserit, liceat mihi illud in dubium vocare; pia namque Magistratus circa sacra ordinationes non temere sunt fugillanda, vel rejicienda. Licet vero homines, qui extra pomeria religionis nostræ nati, vel in religione nostræ educati, & dubiis quibusdam obsepti sunt, virtute ac demonstratione Spiritus de veritate dogmatum Christianorum sint convincendi; injustitia tamen juramenti religionis hæc ratione minime demonstratur. Quid enim impedit, quominus illi, qui virtute Spiritus de certitudine doctrinæ Christianæ inter se convicti sunt, publicam fidei suæ edere confessionem, eamque Sacramento obsignare queant. Unde unius positio alterius hoc in argumento non est exclusio.

### SECTIO III.

## In qua ad objectiones respondetur.

#### §. I.

Vindicatis pro virili nostratum pro justitia juramenti religionis argumentis, nil amplius restat, quam ut objectiones quoque *Dni Dissidentis*, ne ullum penes B. L. remaneat dubium, sub examen brevibus vocemus. Et primo quidem, quæ quotidiana adversariorum querela esse solet, *Dn. Dissentiens* juramentum religionis ad reliquias Papatus pertinere existimat. Nimirum, iste nonnullorum hodierno tempore mos est, ut ea, quæ cum perverfis suis hypothesebus conciliare nequeunt, dogmata, nescio cujus vera atque salutari doctrina *ἀπεσάριας*, & iterum invalescentis Papismi, non sine summa Ecclesiæ nostræ injuria, satis proterve aculent: Hinc mirum non est, ea quoque capita, quæ de juramento religionis agunt, a *Dn. Dissidente*, tanquam reliquias Papatus fugillari: Sed quo jure, quæve injuria, alii judicent. Summa namque, quæ inter juramentum religionis, & Papatum inter-



cedit, discrepantia, vel manibus palpari potest, cum ipsa sana ratio cuilibet dicter, nullas unquam reperiri Papatus reliquias, in rebus, quæ & ante Papatum, & sine ullo Papatus auxilio susceptæ sunt. Quandoquidem igitur istud in Sect. I. satis dilucide evictum esse confidimus, hocce argumentum sua sponte corruet. Neque illud temere admittendum esse arbitramur: Primos Librorum Symb. conditores non tam sponte, quam coacte formulas credendorum conscripsisse, exigentibus id Pontificiis, neque etiam mentem eorum initio fuisse, doctrinas istas ulli hominum obtrudere, conscientis que vincula injicere. Aperte enim falsi demonstrari hæc assertio potest. Neutiquam igitur concedimus, libros Ecclesiarum nostrarum Symbolicos coacte esse conscriptos, cum potius bonitate causæ consili, & de commoda occasione sibi gratulantes, summa cum *παραστάσει*, animique *πληροφωρίαι* confessionem illam promulgarint: Hinc & posterius probatu impossibile erit, istud namque omni dubio caret, doctrinam, libris Symb. comprehensam, in sacris literis esse fundatissimam. Quæ si accurata lance perpenduntur, nulla apparet ratio, cur doctores in Ecclesia publicos ad divinam illam inæstimabilem veritatem alligare noluerint: Nullam sane hac ratione vim conscientis injecissent, utpote quæ in rebus fidem & religionem concernentibus, locum non obtinet. Quinimo contrarium in præfatione clarissimis verbis insinuat, in qua, subscriptione doctores publicos ad hæc symbola alligandos esse, disertis verbis docetur.

§. II.

Deinceps, ut veritatem theosofæ evincat *Dn. Dissentens*, ad defectum necessitatis, adhibendi hoc juramentum, quoad Candidatos Ministerii, se recipit, in eaque est sententia, aliud æque idoneum a divo gentium Apostolo subministratum esse medium, 1. Tim. III. 9. 10. qui tales constituendos esse ministros Ecclesiæ præcipit, qui mysterium fidei in pura servant conscientia, hos vero non per juramentum religionis cognoscendos, sed antea probandos, & tum demum, ubi reperti sunt irreprehensibiles, Ecclesiis præficiendos esse. Sed proprio se gladio jugulare videtur *Dn. Dissentens*, aut enim vehementer fallor, aut invicta sententiæ nostræ veritas ex hoc ipso loco quam commo-

C 3

disfime



disiſime poterit probari. Nihil namque aliud a noſtratis Eccleſiæ doctoribus intenditur, quam ut de doctrina pariter ac vita Miniſtrorum Eccleſiæ, num myſterium fidei in pura ſervent conſcientia, certiores reddantur: Mandati itaque divi Apoſtoli memores, probandos ejuſmodi homines eſſe, cenſent. Quod vero modum, quo iſta inſtitui debeat probatio, concernit, per publicum examen, & juramentum religionis haud incongrue eandem ſuſcipi poſſe, arbitror. Per prius requiſita ab illis dignitas, per poſterius ſincera illorum conſtantia exploratur. Hinc non eſt, cur *Dn. Diſſentiens* medium hoc ſententiæ Apoſtoli opponat, cum noſtra potius hypotheſis in iſto eſſato quam elegantiffime contineatur. Interim non eſſe ſufficiens & idoneum illud medium aſſerit, quandoquidem præſtari illud a ſucatis etiam hypocritis poſſit. Hac vero ratione ne ullum quidem ad conſequendam fidei unitatem, toties in ſacris literis commendatam, ſuper eſſet medium, cum perversa hominum aſtutia omnia iſta facillime derideri queant. Obicem autem iſti hominum malitiæ a Magiſtratu poſitum eſſe conſtat, quandoquidem omnes, quotquot perjurio fidem publice datam fregerunt, animamque ſuam contaminarunt, ab officiis ſibi concreditis, removeri ſolent, ne alii forte hiſ exemplis moti, ad ſimilia perpetranda peccata inſtigari queant.

## §. III.

Porro nec ullam ad eſſe dicit neceſſitatem exigendi juramentum religionis reſpectu eorum, qui publicis officiis civilibus ſunt præficiendi, cum nulla credendorum ad Republicam habitudo detur, & dominantis potius cleri interſit, ne alia, quam publice recepta religio toleretur. Verum multa hic affectibus condonanda reperiuntur, cum ſolida demonſtratio deficiat. Ponamus enim, diverſas in Republicam per publicos doctores in vehi religiones, & quanta opinionum monſtra, quæ veram doctrinam penitus evertant, ſint oritura, ipſa experientia comprobabitur. Hinc multæ utique in Republica vitari poſſunt turbæ atque confuſiones, ſi una vera religio per juramentum religionis toleretur, quod vel ſolo Münzerianarum turbarum exemplo comprobari poteſt; ſed nec hac ratione Principem ſubditorum ſuorum ſalutem obtenturum eſſe excipit, quoniam formula, Miniſtro præſcriptæ,



ei ad æternam salutem consequendam, corde non mutato, non sufficient. Verum, ut opposita hic narrantur, quæ tamen ut subordinata fuerant consideranda. Mutationem cordis necessariam esse, nemo unquam nostratum negavit, qua autem ratione illa, absque prævio vero de rebus divinis sensu possit suscipi, fateor, me non percipere. Princeps igitur, per injunctum juramentum religionis munia sua fideliter explèvit, hinc si nulla ratione subditorum in vita emendatio subsequatur, Principem legitima pietatis media subministrantem omni culpa carere, asserimus.

§. IV.

Uterius illud πολυθρόλλον, nobis obvertitur: Inferri per hoc juramentum vim conscientis, quandoquidem fides in formulis expressa, interna respiciat, ad intellectum penetret, & conscientiam tangat, quæ magis suadenda, quàm imperanda, aut juramentis ejusmodi obrudenda. Imo hac ratione humanis mediis fidem aliam quam hominibus obrudi, cum e contrario Paulus doceat, Ministrorum non esse, dominari conscientis, aut fidei dominium prætere, quod tamen revera per indirectum quæritur, dum præcise quis ad semel recepta quorundam virorum decisa alligatur. Equidem satis jam perspectam habet *Dn. Dissensio* solidam nostratum responsionem, nullam subesse coactionem, cum quis vel illud præstare, vel officium relinquere debeat: Sed propria nos cædere vineta putat. Hinc respondet per instantiam: *Notum est*, inquit, nos improbare in Pontificis, quod vim conscientis inferat, dum libertatem matrimonii restringunt, prohibentq., ne clerici matrimonium ineat. Ad hæc vero respondent illi, se vim nullam conscientis inferre, liberum esse civis, an matrimonium inire velit, sed se velit, abstinendum illi esse a Clerico officio: Quid respondebimus Pontificis? Annon proprio nos gladio jugulabunt? Adeest itaque necessitas, si non absoluta, saltem hypobolætica, et sufficit, quod ipsa exactis hanc vim conscientis inferat, licet præstatio aliquando libera esse possit. Verum enim vero pondum desperata est nostra cum Pontificis causa, admodum enim dissimile est illud in medium illustrationis causa, adductum simile. Apparet igitur summa hujus similis dissimilitudo (1) ex eo, quod Pontifici sententiam disertis sacrarum literarum verbis e diametro contrariam propugnent, nostra vero sententia nec divinis oraculis, nec juri nature vel directe vel indirecte, contrarietur, id quod supra Sect. I. ad oculum demonstratum est; (2) Pontifici homines ad nova atque in puriore Ecclesia inaudita dogmata, tum recipienda, tum in praxin deducenda, vi quadam adigunt. Ast nostra

20.  
36.  
9d



tes in his talibus, iniquis Pontificiorum dogmatibus minime adscriptulantur, neque frigidam suffundunt; sed liberam atque candidam tantum fidei suae, quam sponte sine ulla coactione jam ante crediderunt, & publice alias pro vera agnovērunt, professionem a publico muneris Candidato requirunt. Illud enim utique exploratum enes Magistratum esse debet, ut sciat, num publice vera, an haeretica doctrina a docentibus, teneris conscientiis instilletur. Cum itaque, moxente Apostolo Petro, I. Petr. III, 15, quilibet paratum se sustinere, debeat *πρός ἀπολογία πάντι πᾶ ἀίβν-τι λόγον περί τῆς ἐλπίδος*, ne conjectando quidem assequi possim rationem, cur per juramentum religionis fieri ista *ἀπολογία* nequeat. Nihil ergo nos ferit divi Apostoli Pauli effectum, nullum enim, ne quidem per indirectum, conscientiarum quaeritur dominium, sed vera tantum doctrina per legitima media exploratur. Neque quis hac ratione ad semel recepta quorundam virorum decisa, id quod non nisi summa, atque atroci injuria nostratibus imputari potest, sed ad undique approbata totius verae Ecclesiae placita unice alligatur. Denique nec istud admitimus; humanis mediis fidem aliquam hominibus obrudi, media namque illa in sacris Pandectis apprimè sunt fundata; quid igitur obstat, quo minus piorum exempla & hac in parte sedulo imitemur? Nec, quod lubens fateor, ulla ratione a me impetrare possum, ut mihi persuadeam, aut argumento aliquo, etiamsi minimo, suffultus credam; fidem istam obrudi; Aut enim fides ista, quam quis publice haereticus professus est, sincera est; aut fucata: Si posterius, in apertum hac ratione producentur scandalosa atque clandestina illorum dogmata, si vero prius, nulla tenera conscientiae excusatio est admitienda, cum veritas lucem non vereatur. Et sic salva quoque hoc pacto manet justitia juramenti religionis.

## §. V.

Præterea juramentum hocce effectum suo destitit, asserit, cum de credendis juramentum concipi non possit, nec alius jus aliquod in meum intellectum prætercedere queat, ut præcisè ejus conceptus sequi teneat. Verum (1) supponitur ut verum, quod nos ut alienum rejicimus: Juramenta namque de credendis jure posse exigi, in Sect. I, abunde demonstratum est, (2) immutatur status controversæ: Privata enim hujus, vel illius doctoris placita toti ecclesiae minime injunguntur, neque ullum in intellectum jus alteri hac ratione traditur; Verum, quatenus in animo hæreat doctrina, per legitima media saltem exploratur, & hæc exploratio obligationem, quam Deo de fide & credendis reddere obstricti sumus, non tollit, sed potius supponit. Addidit Dn. Dissensiens, facienda plane negligi, quasi tota christianismi ratio in puritate doctrinæ consisteret, adeoque magis nocere, quam prodesse tale juramentum: Ast contra experientiam loquitur, quæ plurima penarum ob malam hominum vitam injunctarum sistit exempla; ex puritate vero doctrinæ pia deinceps vita sequitur, ut patet quæ simplicia nulla dari potest.

## §. VI.

Denique hoc juramentum tribus suis destitit putat conditionibus: judicio, justitia, & veritate; cum vero supra Sect. I, 6, 7, hæc jam tum fuerint occupata, & contrarium dilucide demonstratum, ea h. l. repetere, super vacans esse arbitror. Sic itaque hoc, quem suscepimus, de justitia juramenti religionis, labore, defuncti, Divino Numini pro concessis viribus devotas persolvimus grates, utque ex hac, qualicumque etiam opella Sanctissimi sui Nominis gloria penes nos promoveatur,

idem religiose veneramur.

— ( 0 ) —



Leipzig, Diss., 1712 A-0

X 241 7849









DISSERTATIO MORALIS,

QUA

JUSTITIAM  
JURAMENTI  
RELIGIONIS

IN

ACADEMIA LIPSIENSI

CONSENSU AMPLISSIMI SAPIENTUM

ORDINIS

AD D. XVII. SEPT. A. O. R. MDCCXII.

PRÆSIDE

M. GERHARDO HERMANNO  
MENCKENIO,

OLDENBURGENSI,

PUBLICE VINDICABIT

RESPONDENS

JOHANNES DAVID König /

BITTERFELD. SAXO.

LIPSIÆ,

Literis BRANDENBURGERIANIS.

1, 692.  
ad. 1712, 8.  
1712, 8.  
1712, 8.  
1712, 8.